

**De cura avenacea = von der Haber-Cur / publice disputabit Johann Gottfried Fiedler.**

**Contributors**

Fiedler, Johann Gottfried.  
Hoffmann, Friedrich, 1660-1742.

**Publication/Creation**

Halae Magdeburgicae : Typis Johann. Christiani Zahnii, [1714]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/fkyvhtb9>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

D. O. M. A.

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO REGIÆ DOMUS PRINCIPE  
AC DOMINO,

**DN. CAROLO**

PRINCIPE PORVSSIÆ, MARCHIONE  
BRANDENB. RELIQUA

P R A E S I D E ,

**DN. FRIDERICO HOFFMANNO,**  
ORDINIS MEDICI h. t. DECANO,

DE  
**CURA**

**A V E N A C E A**

Bon der

**Saber = Sur,**

PRO GRADU DOCTORALI

M. AUGUST. MDCCXIV.

PUBLICE DISPUTABIT

H. L. Q. C.

**JOHANN GOTTFRIED FIEDLER,**


Vratislavensis Silesius.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,

TYPIS JOHANN. CHRISTIANI ZAHNII,  
Acad. & Senat. Hallensis Typogr.

卷之三

卷之三



Q. D. B. V.  
DISSERTATIO MEDICA INAUGURÁLIS  
DE  
**CVRA AVENACEA.**

PROOEMIVM.

**M**inus certe laudanda est illa Medicorum nostri temporis consuetudo , qui exotica atque in alienis terris nata remedium generum nostris domestiscis, quæ omnibus patent atque in promptu sunt, longissime præferunt. Neque vero si peregrina præstantiora & ad sanandum majoribus viribus instructa essent, sollicitudo hæc foret Medicorum culpanda; at vero ut plurimum nostris illa esse virtute inferiora experientia quæ optima rerum magistra est , in dies sere edocemur. Tanta enim est benignissimæ natu-

naturæ parentis sapientia, ac tam providens cu-  
ra, ut omnibus terræ incolis non modo ad vitam  
alimentis, sed etiam adversus morbos medica-  
mentis prospexerit. Atque adeo olim singulis  
terris sua remedia sufficiebant; postea vero quam  
remotarum rerum atque condimentorum & ali-  
mentorum cupidissimi facti sumus, nostra etiam  
nobis sordere remedia cœperunt, ita ut incre-  
dibili amore in peregrina neque satis nobis co-  
gnita ab aliis vero nationibus intempestive cele-  
brata nunquam non feramur, ubi tamen plerum-  
que ingens illa, quæ nos lactavit de eorum usu,  
spes, subinde fallit atque destituit. Laborant au-  
tem hoc novitatis studio atque cupiditate inpri-  
mis Germani, quibus ferme nulla erga optimam  
matrem Naturam est fides atque constantia. Ul-  
teriorius quoque detestandus nostræ Germaniæ Me-  
dicorum is mos est, quod simplicia, & quæ in  
usum atque auxilium alma natura suggerit ubivis  
obvia remedia, admodum negligant, iisque arte  
humana excogitata varieque mixta vel chymi-  
ce elaborata longissime præferant. Evidem  
Chymia artium longe nobilissima non suo usu  
ac fructu in Physicis æque ac Medicis destitui-  
tur, & sua quoque laus chymicis remediis con-  
stat, si tamen comparationem velimus simpli-  
cium

cium & sic dictorum Galenicorum cum ipsis chymicis instituere, certe illorum præstantia atque efficacia in medendo longe his foret superior. Habemus ante oculos quas pedibus calcamus simplicissimas, longe tamen efficacissimas herbas, quarum virtus recte perspecta ac cognita aliis pretiosis magno titulo superbientibus chymicis arcanis ac præparatis longe multumque est præferenda. Sicuti enim Natura ubique simplex est, & hac simplicitate maximas operationes sapientissime præstat: ita etiam Natura corporis nostri ægrotans simplici medicina gaudet atque contenta est. Evidem in hujus asserti confirmationem plura possent copiosius adduci, nobis tamen hoc loco tantum sufficerit aquam simplicem cum Avena, Radice Cichorii & Nitro coctam, ceu præstantissimum remedium in exemplum proponere. Constitui nempe DEO auspice, Specimis inauguralis loco de Potu avenaceo vulgo *Cura avenacea* Haber-Cur/paulo fusius differere, & quam eximiæ utilitatis hic potus in medendo præ aliis pretiosis remedii sit, clarius & fusius demonstrare. Cui instituto, ut omnis veritatis qui est unicus fons ac scaturigo DEus sum concedat gratiam, est quod humillima prece efflagitamus.

## S. I.

**D**E Cura avenacea actus: ante quam pro more telam ipsam aggrediamur hancque materiam in theatrum disputatorium producamus, omnino necessarium est, ut initium dicendi a consideratione & notione Nominis sumamus. Cum enim voces rerum sint indices, & rerum docendarum instrumenta ac principia, exponere nobis incumbit, quid per Curam avenaceam significare velimus, utpote sine genuino hujus appellationis sensu facile errores propullulare possunt. Cura igitur avenacea a nobis hoc loco sumitur pro potionē vel decoctō ex Avena tranquam principaliori ingrediente parato ad usum maxime internum accommodato, germanice der Ha-ber-Trank / die Haber-Cur / quod ad similitudinem Decoceti lignorum germanice die Holz-Cur / exprimitur. Vocatur etiam a quibusdam Ptisana avenacea, Potus avenaceus, Potio avenacea, non quod eadem sit cum Ptisana illa Galeni de qua totum librum conscribere eamque maximis laudibus exornare sustinuit; sed quod ad imitationem ejus parari & porrigi soleat; parabatur vero illa ex hordeo ejusque cremore cum aqua simplici, & pro potionē porrigebatur: nostra ve-ro ex Avena, additis quibusdam adhuc aliis idoneis & salutaribus ingredientibus mediante decoctione & repetita ebullitione paratur. Ptisana Veteribus quoque dicebatur cibi genus ex hordeo integro pinsendo ab exteriore cortice mundato & aqua conseratum, vulgo tremor hordei dictum; nostra vero ex Avena in forma dilutiori pro potu porrigitur.

## § II.

## §. II.

Interim non negandum etiam veteribus jam cognitam fuisse curam, quam hic tractamus, avenaceam. Et licet plerumque sub ptisanæ nomine ab Hippocrate & Galeno potus hordeaceus intelligatur: non dubitandum tamen etiam paratam fuisse hanc potionem ex Avena, cui Hippocrates humectandi & refrigerandi virtutem adscribit, imprimis *libr. II. de Victus ratione p. m. 356.* dicens: *Avena comesta humecat & refrigerat, itemque in sorbitione accepta, ubi per Sorbitionem quam φόρημα effert, nihil aliud intelligit quam potionem ex avena decoctione paratam, quæ φόρημata libro de Victus ratione in Morb. acut. summopere commendat, & in acutis quibusvis porrigenda præcipit, uti ex toto citato libro, item libro de Affectionibus p. m. 526. liquet: Sorbitiones autem in omnibus morbis dato, aut ptisanam &c.* Successu tamen temporis, nescio quo fato, Ptisana illa seu potio avenacea adeo in desuetudinem abiit, ut ne quidem ullum Medicorum ejus fecisse mentionem recordemur, & nisi a Recentioribus ob virtutem ratione & experientia comprobata iterum ex tenebrarum squalore resuscitata fuisset, ad huc dum extremitus ejus usus nos lateret, & plerisque incognitus esset. Id quod gratiae divinæ, ac humanitati Richardi Loveri, Medicinæ celeberrimi Doctoris & Practici, qui ante paucos annos Londini anno ætatis XCII. vitam cum morte commutavit, acceptum referimus, qui primus illud arcanum, uti appellat in Anglia cum amicis, hinc & cum aliis communicavit, unde cum ceteris ipsius arcans in lucem publicam emissis in germanicam linguam fuit translatum. Etenim ad summam usque

usque senectutem cum Lowerus pervenerit Potionem hanc toties in Anglia experientia comprobata cum aliis probatis medicamentis mundo erudito offerre decrevit, proximo ægrotanti etiam post cineres inferviturus. Observaverat enim Curam hanc avenaceam in plurimis morbis omniæ ætate usum maximum præstitisse, imprimis vero expertus erat in celeberrimo Angliæ Medico D. de S. Catharina hujus potionis usum, qui vitam ad annum usque CXX. salvam incolumemque conservaverat. Hinc & in Germania nova hæc cura seu potio avenacea innotescere ac ægrotantibus ut potus minus nauseam creans commendari cœpit.

### §. III.

Temporibus equidem Divi Coi Medicorum facile Principis, potio hæc tantummodo simplex ex Avena cum aqua cocta porrigebatur, & sub nomine *ροφημάτων* sive *Sorbitonis* adhibebatur, quæ vero tandem uti supra diximus, plane in desuetudinem abiit, donec nostris temporibus Johannes de S. Catharina illam in lucem iterum revocaret, qui radicem Cichorii addebat & saporem adjecto saccharo gratiorem reddebat, & hoc modo correctam in usum vocans vitam ad summam produxit senectutem. Huic Potui postea Lowerus lapidis prunellæ quicquam adjiciebat; & hæc est potio illa de qua in præsenti agere ejusque vires & usum inquirere iuvante DEO instituimus. Compositio vero sequenti modo, quam ipsa Lowerus in citato Tractatu describit, sese habet:

Recipe Avenæ recentis mundatæ libram unam semis, Radicis Cichorii silvestris concisæ manipulum unum,

unum, aquæ fontanæ mensuras duodecim, indantur ollæ firmiori vitreatæ, coquantur ad consumptionem dimidii, & per linteum, sine expressione fortiori, collentur. Colaturæ adde salis prunellæ unciam semis, sacchari non refinati uncias sex, ebulliat adhuc femei, & ab igne remota stet per diem & noctem operta & quieta; sequente die decantetur in vitra vel ollas vitreas, cavendo tamen ne materia crassior in fundo residens potui immisceatur; vitra arctissime claudantur, & in cellam posita usui serventur.

## S. IV.

Verum enim vero observandum circa avenam est, quod aliquoties & affusione aquæ puræ & frequenti fricatione prius probe sit depuranda, quo potus clarior & ad sorbendum gratior reddatur; particulæ enim terrestres impuriores, sese aqueis flexilibus glabris facile implicant, insinuantque, & sic pelluciditatem, quæ potui gratiam conciliat, impediunt. Expedit quoque recentem potius quam annosiorem avenam feligere, quod mucilaginem gratiorem adhuc in se contineat. Maxime vero omnium enitendum est ut intermixtum lolium ab ea separetur: sæpiissime enim vitio agrorum aut ob continuas vernales pluvias accidit ut simul lolium in magna copia succrescat, & avenæ, quam præ ceteris frumentis appetere videtur, permisceatur. Hoc omni cura ab avena per cribrum, uti Rustici solent, secerni, si que tempus suppetit diligenter feligi debet. Et hæc unica est causa, cur a multis habeatur avena pro frumento stupefactiuo & gravativo, quod vertiginem atque dolores causetur, cum tamen per se plane sit infons, & potius contra vertiginem

nem & dolores teste *Tabernæmontano Lib. I. Sect. VII. cap. 21.* adhibeatur. *Lolium* vero si admixtum fuerit, imprimis ad cerevisiam coquendam, per fermentationem particulæ stupefactivæ, aliis mucilaginosis implicatæ, exaltantur, quæ accedente postea *Iupulo* crudiore, facile caput feriunt & perturbant, neque solum vertiginem, sed etiam dolores, si largius assumatur, inferunt. Ab hoc igitur *Iolio* ubi liberatur avena, nullum amplius periculi aut damni metus locum inventit.

Additione vero salis prunellæ vis ejus diuretica & refrigerans magna ex parte augetur. Non enim ignotum est, quam egregios effectus laudatissimum nitrum in morbis præstet. Mihi vero non sine ratione loco salis prunellæ placet recipere nitrum depuratum, eo quod hoc ipsum in febribus tam continuis quam intermittentibus, fanguinisque effervescentia minuenda, majoris efficaciæ ipso prunellæ sic dicto lapide deprehendatur: sub elaboratione enim salis prunellæ additione sulphuris nitrum deflagrat, hincque Spiritus volatilis acidus nitri in auras abigitur, & pars ejus quodammodo alcalifatur, unde secundum *Ettmüllerum in Colleg. chymic. Tom. I. Oper. p. 259.* minoris pretii medicamentum in illis affectibus qui nitro vulgo adscribuntur, existit.

### §. V.

In genere vero notandum hoc loco est, coctionem duplēm seu repetitam ebullitionem juxta præscriptum *Loweri* non adeo esse necessariam, siquidem atim ab initio nitrum & saccharum adjici possunt: eque enim video rationem cur demum altera post pri-

primam coctionem ebullitione addi hæc debeant. Coctione plenaria, & si placet, ebullitione repetita perfecta, ptisana nostra in vasis lapideis vel vitreis in loco frigido, quod imprimis tempore æstivo summe necessarium, asservanda, clausis arctissime eorum orificiis, ne acescat, & inde saporem vel odorem ingratum acquirat, & insalubris fiat: difficulter enim diu fert astatem, imprimis æstivo tempore, accedente enim aere calidiore fermentationem subit, saporem acidum & odorem ingratum contrahit, sicque ad bibendum inepta redditur. Cellæ autem potionem commissa, particulæ graviores terrestres ad fundum vasis præcipitantur, potus vero intra xxiv. horarum spatiū clarus pellucidusque evadit, a fæcibus seu residentia crassa per decantationem lenem separandus & usui impendens. Ceterum si cui volupe est potionem colore gratiorem reddere, cuius quidem absentia ptisanæ nihil quicquam derogat, in coctione addi potest radicis anchusæ uncia una, vel rasuræ ligni fætali rubri unciae duæ, quod fecit *Cl. Johannes Francus in der Haberbeschreibung.* Hæc vero cum ceteris speciebus igni non nimis forti committere, ne oras ollæ transcendat & colorem rubrum in cœruleum mutet, oportet.

## §. VI.

Est hæc quam dedimus & jam perlustravimus simplex illa & optima descriptio Curæ avenaceæ, quæ in quamplurimis morbis felici cum successu adhibetur. Neque opus est alia addere specifica, quæ sæpius efficaciam ejus magis obtundunt quam augent. Interim si cui libet pro varia intentione huic vel illi mor-

bo dicata alia quædam simplicia jam dictis addere, per nos licebit, modo non sint contraria aut potum invertant. Unde excludi merito debent spirituosa volatilia aut aromatica calidiora, quia sub coctione maximam partem virium in auras ablegant, & intentioni hac ratione minime satisfaciunt; neque sulphurea fixa seu resinosa addere oportet, quippe in quæ menstrua aquosa nullum vel parvum jus inveniunt. Terrea fixa vix quoque locum inveniunt, utpote quæ cum aqua posthac colanda parum aut nihil virtutis communicant, sed potius in filtro cum aliis particulis crassis terrestribus subsistunt. Bene tamen adjici possunt ea quæ particulis mucilaginosis viscidis constant, quæ aqueis resolventibus obediunt. Ita Decocto avenæ rasura cornu cervi vel radix scorzoneræ in febribus malignis; radix & flores pœoniae herba betonicæ verbenæ in affectibus capitis & nervorum, radix valerianæ in oculorum vitiis, radix glycirrhizæ helenium radix & herba tuſſilaginis ſicus &c. in pectoris symptomatibus, melissa pulegium in uteri morbis, petroſelinum in calculo, fumaria vel trifolium fibrinum in malo hypochondriaco & scorbuto, radix lapathi in arthritide &c. pro varia intentione ſimul superaddi possunt; quibus tamen omissis etiam noſtra ptifana egrégie ſatisfacit. Si quoque cui certam ob causam volatilia spirituosa & aromatica addere animus eſt, v. gr. aquam cinnamomi spirituofam, ventriculi roborandi gratia, illa ſub finem ſi decantatus a residentia potus fuerit, addi potest.

## §. VII.

Perspectis potionis nostræ avenaceæ partibus constitutivis ejusque parandi modo examinato, singulorum nunc ingredientium in specie examen instituemus: horum enim natura, principijs ac operandi modo perspectis, facile quoque erit de potionē ex hisce composita formare judicium.

Primarium autem nostræ potionis ingrediens *Avena* vilissimum & contemptissimum frumenti genus constituit, equis & anseribus quam homini convenientius a *Güldenklee in Consilio diætetico* citra meritum æstimatum, cum tamen Veteres Germani avena excorticata pro delicato & usitato cibo secundum *Pliniūm Hist. Nat. libr. XVIII. c. 17.* in jusculis, decoctis & pultibus usi fuerint, ac ex hoc cibo robusti & validi evaserint; quin imo adhuc amyllum ex avenæ semine paratum apud Wallos in cibis æstimatur, & uti *Dale Pharmacolog. Supplemento p. 247.* testatur, ab illis Lummary vocatur: Alpestres quoque avenam mola comminutam in sartagine cum aqua coctam, sale & butyro paratam in deliciis habent, uti *Ct. Behrens in Selectis diætet. Sect. II. Cap. II. §. I.* ex *Höferi Herc. L. I.* refert. Et quid opus peregrina afferre testimonia, cum juscula avenacea optimum ægrotis, alios cibos respuentibus, præbeant alimentum, nuncque a plurimis Medicis quotidie commendentur; humectant insuper spirituumque impetum & sanguinis effervescentiam mitigant, sicque refrigerant. Et jam apud Veteres talia juscula sub nomine *diætæ tenuis* in febribus & morbis chronicis, tam pro nutritione moderata & abstergendis atque detergendis primis viis secundum *Ett-*

*müllerum*, quam temperandis succis acribus commen-  
dabantur. In *Norwegia & Scotia*, referente Dn. *Behrens*  
*Select. diætet. loc. cit.* ex avenæ farina panis parari so-  
let egregius, saporis grati ex tritico parato æquiparan-  
dus; & multis in locis quoque cerevisia ex mera ave-  
na paratur, uti in *Poloniæ & Hungariæ* variis locis,  
quæ sane cerevisia sapore, colore, & viribus se maxime  
commendat, & in *Anglia* quoque in frequenti usu est  
ob vim calculum pellendi. Ubi tamen attendendum,  
ut bene fermentetur ac defæcetur satis, alias enim  
flatuosa deprehenditur, ac alvum constipare a *Güldenklee* in *Consilio dietetic.* accusatur. Pultes, quibus ve-  
teres Romanos vixisse, verbis *Plinii*, manifestum est,  
exinde paratæ vim nutritivam obtinent, ac uberrimam  
eamque benignam chyli copiam suppeditant. Facil-  
lime enim in ventriculo dissolvitur ex avena paratus  
cibus, unde & eandem *tenuissimi levissimique succi con-*  
*cretionem, molli pelli coopertam* vocat *Cl. Sponius*, *Com-*  
*ment. in Aphor. nov. Sect. IV. n. 48.* Quare *Tabernæmontanus* *Libr. I. Sect. VII. c. 21.* testatur experientia com-  
probatum se habere, infantes cibis ex avena paratis  
educatos, robore & formæ elegantia ceteris longe  
præstare, idque *D. Turnerum* in suis propriis infantibus  
probasse & expertum esse. Hinc quoque *Mæbi-*  
*us Epitom. Instit. I p. m. 454.* pultes & juscula ex ave-  
na; excorticata parata ægris pariter ac sanis uti-  
lia commendat. Denique *Tabernæmontanus l. c.* in  
febribus ardentibus & malignis alimentum benedi-  
ctum appellat; sique ex jure carnium decoquitur,  
cibus fit haut ingratus, sapore & virtute restaurativa  
ægris porrigendus. Verum enim vero pultes avena-  
ceas

ceas in nimia copia assumptas flatus in intestinis excitasse deprehensum fuit: massa enim farinacea ob viscositatem qua pollet intestinorum plicis & lateribus facile adhæret, poros eorum oblitterat, sicque ob transpirationem liberiorem impeditam flatus tunicas intestinales distendentes exoriuntur, imprimis si digestio ventriculi fuerit depravata. Huic malo ut obviam eamus, optimum est pulibus aut jusculis semen anisi, carvi vel aliud quoddam adjicere, quibus digestio promoveatur, flatum generatio inhibetur, & horum expulsio promoveatur; si que alvus segnis observetur, addi possunt passulæ minores, quæ alvum facile lubricam conservant.

### §. VIII.

Ast non solum avena facultate egregia pollet alimentosa, sed etiam medicamentosam possidet non satis prædicandam. Ob virtutem enim temperantem acrimoniam lymphæ in catarrhis, in raucedine egregie prodest, notumque in hac ceu evporiston mucilaginem vel jusculum ex avena cum successu adhiberi; quin imo ad sitim extinguendam, ad tussim a Bechero juscum ex avena maximopere laudatur. Sic a Tabernæmontano lib. I. Sect. VII. c. 21. farina & ptisana avenacea sive in jusculis, sive in cibo, sive quocunque modo usurpata, ad dolores capitis, item in mania avertigine egregie laudatur. Ad tussim ronchum & phthisin incipientem decoctum avenæ cum liquiritia, vel solus tremor avenæ ceu expertum remedium a Colero & Tabernæmontano l.c. celebrantur, id quod Roflincius quoque in Epitom. method. cogn. & curand. partic. corp. affect. comprobavit, ptisanæ nempe cremorem

morem in phthisi convenire. In morbis acutis s̄epissime usurpari, supra jam diximus, & ubi acrimoniam humorum peccat, medicamenta ex avena parata felicem successum adhibentur. Pari ratione in faucium asperitate & exulceratione, in pulmonum & thoracis vitiis viscidam acremque lympham temperat & corrigit, non minus ac in pleuritide, ubi alias quoque potio ex decocto avenae addita Tinctura Papaveris rhœad. vel Bellidis passim suadetur.

### §. IX.

Sequitur *Radix Cichorii* silvestris vel etiam hortensis, alterum potionis ingrediens paucissimis verbis examinandum. Hujus virtutes adeo decantatae apud Practicos deprehenduntur, ut nullum fere decoctum aperiens praescribatur, in quo non primarium sit radix cichorii. Sale enim alcali temperato acriuscule incisivo, sapore amaricante praedita, optimum habetur hepaticum & aperitivum, diureticum, abstersivum. Hinc in omnibus obstructionibus, vasorum lacteorum, hepatis, lienis, mesenterii ab hisque dependentibus morbis, malo hypochondriaco cachectico, melancholico, scorbuto &c. egregie se commendat. Imprimis vero subjectis biliosis in quibus particulæ sulphureæ oleosæ volatiles salinæ prædominium præ aliis habent, dicta videtur. Ubi massa sanguinea a debita mixtura & proportione deficit, salinæ acres sulphureæ vero sanguinis & lymphæ partes abundantes phlogoses, incalcentias sanguinis, scorbutum & alia producunt symphomata, ibi egregie particulas acres temperat, inertiam bilis corrigit, yasa renalia stimulat & per urinam

nam salino sulphureas sordes expellit. In febribus intermittentibus unum ex præcipuis specificis ab *Ettmüller*o habetur , propter vim acido resistendi , nec non abstergendi , incidendi viscidum primarum viarum, & ut per inferiora educatur præparandi. Hanc plantam illi qui vitam prolongare conantur sibi commendatam habeant auctor est *Deodatus*. Cumque acidum in ventriculo abundans ex digestione residuum alcali suo blando temperato infringat , & digestionem amaritie sua stomacho gratissima promoveat, hinc in morbis chronicis quibuscumque felici cum successu adhibetur. Plurimi enim morbi depravatae ventriculi digestioni , hincque collectis cruditatibus acidis , nidorosis, viscidis ac pituitosis originem debent , quibus per medicamenta congrua sublatis , & digestione rursus restaurata , chyli laudabilis copia generatur, & sic morbi quoque disparent & expugnantur. Quæ igitur hoc præstent inter ea unum ex primariis est radix cichorii ferme tanquam polychresta cum alimentum medicamenti loco commendanda. Imo ex præcipuis antiscorbuticis radix cichorii celebratur, ubi videlicet fluores corporis peregrinis imbuti sunt particulis massam sanguineam immutantibus , unde hæc a naturali crasi deflectit , & innumerabilium morborum causa fit , cui optime subvenire licet ejusmodi amaricante , aperiente , & per urinam salia peregrina edcente medicamento , quale est radix cichorii. Soler-  
tissimus in eadem laudanda est *Panarollus* *Pentec. 3.*  
*Obs. 47.* asseritque: plurimos simplici *Cichorio silvestri* sanatos, quibus tota *Pharmacopœa* nil quicquam auxilii attulerat. In morbis a vitiis bilis præ aliis hujus vi-

res extolluntur: activitatem enim ejus promovet, du-  
ctum cholodochum viscidiore & spissiore bile obstru-  
ctum perquam facile aperit, ut iterum debita quanti-  
tate cum succo pancreatico ad boni chyli elaboratio-  
nem in duodeni sinum descendere possit. Bile enim  
deficiente protinus cruditates acidæ viscidæ in corpo-  
re accumulantur, neque chyli separatio succedit felici-  
ter, inde sanguis impurus facile fit. In ictero etiam  
ex obstructione ductum biliariorum proficia est, dum  
ductus bilis referat, & vias ordinarias expediendo re-  
gurgitationem ad lymphæ massam impedit.

## §. X.

Tertium potionis nostræ ingrediens *aqua com-  
munis* est, qua nihil in vita humana magis necessarium  
nihilque utilius invenire licet, utpote ad vitam ejusque  
conservationem si non omne, potissimum tamen mo-  
mentum adfert, & certe universale nostræ conserva-  
tionis præsidium existit. Quia de causa doctissimus  
*Waldschmidius* aquæ simplici inter omnia potus genera  
palmam tribuit in *Institut. Med. Rat.* p. 108. utpote quæ  
jure antiquitatis salubritatis prærogativam obtinet, &  
in se spectata potus medicus jure meritoque suo dici  
potest. Hujus eximios, quos præstat, usus satis efferre lau-  
dibus vix quisquam poterit; suscepit ante nos id laboris  
in se *D. Præses* in *Dissertat. de aqua medicina universalis* &  
medicamentum polychrestum aquam simplicem esse,  
optimis rationibus demonstravit, hinc quemlibet illic  
remittimus, & hoc loco tantum quædam afforemus  
quæ ad nostrum scopum facere videntur. Jam du-  
dum vero apud Veteres aquæ usus in medicina medi-  
camentosus innotuit, & aquam simplicem tam ab *Hip-*  
*cuea*

postrate quam a Galeno & aliis cum præservationis tum curationis gratia commendatam sæpiissime videmus. Ad alimentorum extractionem, chyli progressum ad venas lacteas & ductum thoracicum, nec non ejus mixtionem cum particulis sanguineis, nihil aptius in tota rerum natura sola aqua simplici invenitur. Et certe, si hanc pro potu ordinario Majores nostri retinuissent, innumeris morbis & afflectibus corpora nostra jam carerent. Aqua enim simplex pura pro vehiculo alimentorum omnibus aliis liquidis cerevisia, vino &c. longe præstat, unde remoto aquæ usu & hujus loco cerevisiis vinisque assumptis acidum copiosum in ventriculo atque primis viis valde noxiū propignitur, quo abstemii & aquæ potatores plerumque sunt liberi & alieni. Quid? quod ad longam vitam egregie facere aquæ simplicis potum quamplurimis confirmari potest exemplis, quale *Menzelius in Misc. G. Dec. II. An. 10. Obs. 15.* de sene CXX. annorum refert, qui longævitatis suæ causam nullam aliam proferre potuit, quam potum aquarum simplicium, præsertim illarum, quæ ex scopulis & vividis fontibus scaturiunt, quibus a teneris delectatus fuerat. Et celeb. Scriptor Anglus *Joh. Lokius*, quod vitam tam diu, etiam inter gravissima status negotia protraxisset, & oculorum aciem ad finem usque vitæ integrum servasset, soli aquæ potui, qui ipsi ordinarius fuit, adscripsit, teste *Dn. Behrens Select. diætet. Sect. III. C. II. §. I.*

### §. XI.

Cum vero aqua sit corpus fluidum cujus particulæ valde lubricæ & flexiles minutissimis etiam poris se insinuant, hinc solidas & duras partes optime hu-

meetat atque emollit; deinde acidum vitiosum temperat, salia omnis generis dissolvit, dissolutaque in pores suos recipit, & secum per varia corporis emunctoria evehit, quare in morbis, qui a salibus nascuntur aquosorum usus summe est proficuus. Et inde fit quod in impuritate sanguinis & omnium humorum, in scorbuto, malo hypochondriaco, scabie, lue venerea, pruritu, arthritide vaga scorbutica, stranguria, soda omnibus ferme remediorum generibus palmam præripiat. Quod si etiam ob salium acrimoniam fibrillæ nerveæ spiculis pungentibus vellicantur, & inde dolor oritur egregie diluendo & temperando suum facit officium. Ceterum aquæ potu nihil præstantius motum celeriorem partium sulphurearum, qui fons ac scaturigo immodici caloris est, contemperat atque infringit, qua de causa in omnis generis febribus tam intermittentibus quam continuis acutis, nec non in aliis morbis quibus calor p. n. ordinario jungitur, uti fit in scorbuto sic dicto calido, doloribus arthriticis, rheumaticis, præsentissimum auxilium fert. In obstructionibus etiam debellandis omnium optime se gerunt diuentia aquæ, quæ resolvendo neque minus copiæ pellendo obstructos a lento stagnante humore meatus præstantissime vindicant. Hinc summa cum utilitate in malo hypochondriaco, obstructione hepatis, lienis, mesenterii, renum, mensium, in scorbuto calcu- lo aliquaque longis & gravibus passionibus expugnandi aquæ minerales tam calide quam frigide usurpan- tur; quarum efficacia non tam ad activum minerale principium quam ad aquæ elementum, quod copia af- sumitur, merito debet referri. Denique haud igno- tum

tum est quam eximum usum iufusa herbarum medicarum, potus Thee, Coffe, in morbis chronicis præstent, qui identidem non tam virtuti specificæ herbarum vel calori, sed potius aquæ adscribendus est.

### §. XII.

Humectare proprium est aquæ, ut Logici loqui amant, in quarto modo: hinc ubi humiditas in corpore deficit, non aptius quam aqueo potu potest resarciri. Unde pessime ægris suis consulunt ac merito cum *Langio in Epistolis medic.* & *Lindano* culpantur, qui in febribus cum intermittentibus tum ardentibus, ubi per nimium calorem & sanguinis ebullitionem humidum dissipatur & per poros ac perspiracula corporis in auras abigitur, ægris omnem denegant potum, cum potius omni modo, si tantum a nimis frigido arceantur, præsertim circa crisin, & ubi inflammationis primarum viarum metus adest, permittendus sit, quo spirituum & sanguinis impetus inhibetur, & humidum resarciantur, observato saltim hoc, tutius semper esse frequentius & parcus bibere, quam una vice nimium ingurgitare: hac ratione enim successive alternat, & madorem continuum conservat, unde merito inter febrifuga aqua simplex refertur. Etsi enim simplicissima videatur, summum tamen habet usum, quatenus substantifice, uti *Wedelius in Amœnit. Mater. Medic. p. 329.* loquitur, serum in febribus ordinarie deficiens restituit. Cumque serum fluxile, & ad motum aptius reddat, accedente quocunque externo calore poros corporis & integumentorum aperiente, facile transpiratio hoc modo promovetur, & secundum Cl.

*Wedelium*. *Dissert. de Aqueor. usu & Abuso p. 22.* inter diaphoretica sobrio sensu referri potest, dum serum reddit fluxiie; modo accedat calor ambiens, tunc fluxilitas lymphæ prompta ad transpiratum redditur. Neque contradictionem ullatenus involvit quod supra diximus, aquam refrigerare, jam vero diaphoresin promovere: sano enim sensu hoc accipiendum est, non quod simul uno eodemque tempore in uno eodemque subiecto refrigeret & calefaciat; sed pro dispositione & indole contentorum in primis viis, nec non sanguinis & humorum varium edat effectum. Humoribus enim in proportionata & debita crassi constitutis, calor quoque æqualis & proportionatus existit; spissescientibus vero illis ad motum ineptiores fiunt, & quo languidior motus, eo quoque calor debilior erit. Exagitato vero motu, serum fluxile reddente, calor quoque exagitatur, & excitatur, & sic ad transpirationem corpus aptius redditur, & hac ratione aqua diaphoresin promovere recte dicitur. Salibus vero acribus in sanguinis massa prædominantibus quæ spiculis suis parietes arteriarum ac cordis ipsius musculofibras stimulant, & ad celeriorem constrictionem eas sollicitant, motus sanguinis tam intestinus quam progressivus celerior factus calorem intensiorem producit. His igitur salibus per aquam simplicem dilutis & disunitis, eorum operatio quoque inhibetur, & per consequens motus & calor remissior evadit, unde optimo jure refrigerare aqua dicitur. Cum vero diaphoretica & diuretica teste *Wedelio* maxime sint symbolica, atque invicem alant affinitatem, hinc inter optima diuretica merito quoque aqua refertur, utpote

te salia humorum in poros suos recipit, & sanguinem crassosque humores dissolvit, circulationem promovet, atque copiosiorem secretionem per glandulas renales & tubulos minutissimos adjuvat, quare major invesica urinaria hujus laticis copia colligitur. Sed aquæ jam meminisse sufficerit, utpote cum nimis longum foret in omnibus quæ aquæ competit virtutibus enarrandis paulo operosius occupari, ad alia magis necessaria potius progrediendum est.

### §. XIII.

Quamvis autem aquæ efficaciam plurimi concedant, & revera hanc polychrestum esse remedium experientia & ratione convicti fateantur, nihilo minus hoc dubii restat, num ullus effectus ab aqua frigida, sed an non potius a calida proveniat, cum omnia frigida adstringant, coagulent motum sistant, & nervis sint inimica, vitæ quoque infensa; calida vero ventriculum dum roborant, fluxilitatem & motum promoveant, omnibusque partibus sint accepta. Evidem non negamus, quin caloris efficacia in corpore nostro utique sit eximia, neque minus fatemur, multos dari casus ubi solus calor partes læsas restituere & curare valeat, uti in diarrhæa a refrigeratione, in colica, passione hysterica, dolore ventriculi, erysipelate id subinde evenit; attamen calore tantummodo opus est ubi serum vel humiditas flatuosa in corpore abundat, sanguinis crassi ceteroquin satis fluida existente, aut fibræ musculosæ ac nerveæ nimis sunt constrictæ, ibi aqua calida proficua, ut partes foveantur, relaxentur & tono pristino restituantur. Ubi vero talis indicatio non adest, calor vix sufficit, quin imo tunc aqua calida

sæpi-

sæpius magis lædit ac nocet quam prodest. Ab infusis herbarum relaxationem ac debilitationem toni ventriculi, hincque exortam anorexiā, non semel notavimus. Evidēt mihi persuadere nequeo aquam frigidam nocere, nisi ubi ventriculus summe debilitatus est, vel ubi nervosum genus spasmis obnoxium a frigore læditur. Apparet id in potu quotidiano quem frigidissime solemus absque noxa ingurgitare, nisi in quantitate excedamus, & quod potus frigidus etiam in copia ingestus non facile damno, sed potius magno præsidio atque saluti sit, acidularum potatores, qui ad tres vel aliquot mensuras iis mane quotidie utuntur, id luculenter confirmant.

#### S. XIV.

Neque solo ratiocinio vel opinione quadam nostra assertio nititur, sed jam ab incunabulis artis usque ad nostra tempora a peritissimis practicorum aquam frigidam in quamplurimis affectibus cum laude commendatam legimus. Ita teste *Galen* in febribus ardentibus aquæ frigidæ potus maximopere laudatur, & in causo pro summo remedio habetur, affirmante *eodem Auctore Comment. 4. de Rat. vīc. acut. omnes qui non ὀλεθρίωσαν ασθεῖαι perniciose & incurabiliter decubuerint, fuisse servatos.* Confirmat idem *Schenkius in Observation. lib. VI.* aquam frigidam in febribus acutis sæpe unice profuisse. Cum enim calore summo & impetuosoī sanguinis motu omne serum exhaustum fere sit, & sanguis spissior redditus restitutionem humidi exposcat, sine qua consistere amplius nequit, unicum solatium in aqua frigida, spiritus resolutos quasi & extra sphæram exorbitantes iterum con-

concentrante], & in motum ordinatum redigente est omnino quærenda. Non equidem placet ille modus fere desperatus largiori & continuato potu aquæ frigidæ febres abigendi , quem commendat **Georg. Hornius in Arca Mosis p. 124.** cuius verba hæc sunt : *ab alcali sitis est inextinguibilis, nisi per acida & puram aquam, crudam, incoctam, copiosissime ingestam, etiamsi vomitu, flamma prævalente, regurgitet, donec aqua in stomacho remoretur, mox sequitur cessatio sitis, caloris, sopor, sudor, sanitas intra 12. horas, quod ipse multoties in acutissimis febribus probavi.* Periculus enim modus est, quem pauciora subjecta perferre possunt , quia tanta copia potus frigidus ad sanguinem transiens protenus eum coagulat , inque motu & fluiditate sistit , quare nihil ad vitam & circulum sanguinis salvum perniciosius excogitari potest. Ceterum verum est aquam frigidam modice sumptam calorem febrilem egregie temperare , vires deperditas restituere , sanguinis motum nimium spirituumque impetum inhibere , sicque ad sanitatem recuperandam plurima conferre ; unde **ex Veteribus Cicero Medicorum Celsus libro I. cap. 5.** aquam frigidam maxime commendat his verbis: *neque vero his solis quos capit is imbecillitas torquet, usus aquæ frigidæ prodest; sed iis etiam quas assiduae lippitudines, gravedines, destillationes, tonsillæque male habent.* In malo arthritico contulisse potum aquæ frigidæ, **Martianus in Hippocrat.** testatur, Bernerium Cardinalem solo aquæ frigidæ potu a podagra perfecte sanatum fuisse. Id quod & **Rondeletius in praxi** affirmat, multoties se aquæ frigidæ potu podagricos sanasse. Nec minus iis quorum sanguis & lympha salibus excremen-

titiis scatent, aquæ frigidæ potus medicina est, ceu colicæ biliosæ, quam *Behrens in select. diætet. sed. III. c. 11.*  
 §. 1. p. 311. aqua frigida curatam refert. *Ingrassis uti libro de frigid. potu post. Medic.* refert, Philippum Siciliæ Proregem Johannem de Vega, qui sumpto pharmaco segniter purgabatur, super exhibita frigidæ aquæ libra una cum paucō saccharo, feliciter restituit, pro quo medendi genere non solum magnas Ingrassisæ egit gratias Pro-Rex, sed & vas argenteum, ex quo frigidam hauserat, pretii 50. aureorum, dono dedit. In arthritide conducere quoque *Bruerynus de Re Cib. libr. XVI. c. 13.* & *Trincavellius de Curand. Morb. libr. XII. c. 2.* testantur, quemadmodum ejus adminiculo etiam a corpulentia nimia se defendunt virgines, corporis gracilitatem affectantes, referente *Valentino in Dissert. de Filtro lapide* §. 5. Agrestres & plebejæ fortis homines, teste *Cramero in Medicina ducent.* & docente p. 107. febribus ardentibus correpti, largissimo limpidæ aquæ potu sanguinis æstum retundunt. Quid? quod ante paucos annos febri ardente laborantem sola aquæ frigidæ ad satietatem ingurgitatione optime restitutum memini, quam & *Pulverinus Medicus Neapolit.* in sua *Praxi Medic.* saepius commendat, imprimis urgente siti, ut ægro, quantum uno haustu haurire potest aqua frigida porrigatur; quin & in phrenitide eam præcipit. In mania pro somno inducendo *Roffincius in Epitom. Meth. cogn.* & *cur. particul. corp. affect.* p. 79. aquæ frigidæ potum largissimum ad aliquot libras de-prædicat.

## §. XV.

Denique præcipuum fere & princeps decocti nostri avenacei ingrediens est *nitrum* sal illud ratione virtutis mirabile & omnium laudatissimum. Evidem qui primam hujus decocti compositionem adornarunt lapidem prunellæ adjecerunt, sed tamen hic parum de nitro differt, in eo saltim differentia quædam videtur esse, quod cum sulphur ad ejus præparationem adhibetur, pars quædam nitri alcalifetur: & inde fluit ratio quare lapis prunellæ cum acido spiritu conflictum edat, quod minime, quando cum nitro puro experimentum instituitur, animadvertisit. Quicquid vero sit, æque proficuus lapidis prunellæ ac nitri puri in nostro decocto erit usus. Sunt qui virtutis exaltandi gratia loco nitri suadent nitrum antimoniatum adjiciendum, ut *Joh. Francus* in seiner *Beschreibung* quamvis vero neque hunc modum improbemus, monendum tamen hoc loco esse censeo, quod hoc ipsum non unius ejusdemque sit salinæ indolis, sed ordinario, ut præparatur, duplex sal, videcit & sal neutrum & arcano duplicato simile figura octoëdria gaudens, & purum nitrum prismatice pyramidalis figuræ in eo observetur, siquidem ob defectum sulphuris antimonii sufficientis non potuit omne nitrum quod ad calcinationem antimonii recipitur in sal neutrum converti. Ex quibus jam qui rerum medicarum & chymicarum peritus est, quisque sagacissimus quam facile dijudicabit nitrum antimoniatum optima fane ratione decoctum nostrum præstantissimum ingredi, siquidem duplex exinde virtus, quæ partim aperientiva & diuretica est certe in chronicis affectibus

desideratissima, partim etiam bilis acrimoniam infringens & manifesto refrigerans inde resultat.

### §. XVI.

Ut vero de virtutibus quas eximias & vere mirabiles in sanando nitrum possideat & autoritate peritissimorum virorum & ratiocinio atque experientia firma subnixa quædam afferamus, instituti nostri ratio utique poscere videtur. Primo vero est observatione dignissimum, quod in universa rerum conditarum natura non detur hoc ipso præstantius & præsentius refrigerans, quod tam celeriter immodicum corporis fervorem sitimque deprimat atque extinguat; Et hæc quoque est causa, cur in febrili æstu molestissimo sedando, vel etiam inflammatione interiorum partium compescenda, nitrum omnibus adhuc perspectis cognitisque remediorum generibus sit longissime præferendum. Ea enim est partium, hoc sal constituentium, indoles atque textura, ut motum partium sanguinis sulphurearum intestinum, qui omnis caloris fons atque origo est, protinus temperet atque moderetur, neque ut alia solent refrigerantia acida naturæ infam humorum coagulationem, sed potius eorum fluxilitatem promoveat. Effectus sane hic nitri singularis atque mirabilis est, ac primum, quod sciam, notatus a Dn. D. Præside, quod videlicet sanguinem coagulatum nigrum fluidum & floridum reddat, sive solutum sive in pulveris forma ipsi adjiciatur. Et hæc est ratio quare Medicorum peritiores nitrum in refrigerando & deobstruendo omnibus aliis acidis vel refrigerandi virtute instructis nihil præstantius usque eo depre-

deprehenderint. Etenim præter refrigerium quod corpori affert simul aridas & exsuccas faucium & œsophagi glandulas humectat, quare non certius in sedanda siti hoc ipso datur præsidium, & quoniam siccas & constrictas partes humidas reddit easque relaxat, hinc antispasmodica simul virtute viget excellensissima. Quid enim in spasmo qui permultorum morborum parens vel comes est, sedando, plus proficiat, quam fibras nimium tensas ac rigidas rursus emollire ac relaxare, equidein non video? Quare minus mirandum est, cur in dolorum, cuiuscunque generis fuerint, atrocia, inque compescendis hæmorrhagiis enormousibus, quarum procreatrices sunt plerumque internarum partium constrictiones spasmodicæ, nullum unquam remedium ipso hoc nitro par reperies. Præterea cum fluxilitatem servet humorum, simul etiam salinis aciebus ac spiculis sensibiliores fibras pungat atque laceffat, egregie obstructa viscera aperit, emunctoria aperta servat, eaque stimulando excretiones tam per alvum quam per urinam promovet.

### §. XVII.

Neque prætereundum hoc loco est, nitrum dia-phoretica, quod mirum nonnullis videtur eo quod corpus refrigerat, virtute fulgere: at vero quæ sudorem movent, non semper id calore præstare, anodynæ sedativa & terrea bezoardica, quorum virtus diaphoretica non ignota est, luculenter demonstrant; quod si enim nimia & prævalida motricium fibrarum & cutis glandularum a calore aucto vel atroci dolore fortis fit constrictio, nullus sudor fluit, sed universa cutis

curis spiramenta firmiter clausa & coarctata sunt: simulac vero, temperato vehementiori calore, vel dolore sedato, fibræ evadunt laxiores, protinus liberior sanguinis & seri ad cutis emunctorium fit affluxus, succedente postea longe utilissima perspiratione.

## §. XVIII.

Ex quibus omnibus clarissime intelligitur, non sine ratione Practicorum peritiores, præsertim nostro tempore, nitrum mirifice æstimare, tam in omnis generis febre, quam inflammatione compescenda, neque minus spasmodorum ferocia contemperanda. Sed cum omnia hæc copiosius & accuratius deducta sint in nuperrime a D. D. Præside habita *Dissertatione de Nitri virtutibus*, hinc quemvis Praxeos medicæ cupidum ad hæc legenda remittimus.

## §. XIX.

Saccharum etiam additur nostro potui, quod magis saporis paulo gratioris quam virtutis causa fit; cum vero sint quidam, quorum ventriculus & primæ viæ minus dulcia & fermentescibilia ferre possint, sed potius ab iis vehementer lædantur, hinc consultum fore arbitror, ut probe prius naturas ægrotantium Medici perscrutentur, ne magis damno quam emolumenti sit; præstat tunc semper ea in parciori quam largiori dosi adhibere. Neque tamen in genere saccharum tam infensum naturæ nostræ est & reformidandum, quam vulgo existimatur: firmiore enim ventriculo & tono ejus ac intestinorum vegetiore existente, novimus quotidie per plures annos ingentem saccharij quantitatem ingestam neutquam nocuisse. Atque singulari Godofridus Steeghius saccharum exornat encomio *Art. medic.*

medic. Medicin. theoret. L. II. c. 27. inquiens nutrit album, & quia facile dissolvitur, omnis lensoris expers, sequax, ad omnia cito pervadit membra, quæ & a sordibus quasi eluit, foveat calore, & humiditate, pectus faucesque lenit plurimum, estque quamvis melle dulcissimus, minus tamen siticulosum. Malunt alii saccharo mel substituere, eo, quod hoc præstantiore abstergendi emolliendi & consolidandi virtute gaudeat; neque nos ab hac sententia discedimus, modo mel fuerit purissimum ex optimis floribus collectum, quale est Russicum, albissimum, quod fragrantis odoris & gratissimi saporis est, magisque medicamentosæ virtutis, quam ipsum saccharum videtur.

### §. XX.

Qvum itaque laudatissimus noster potus tam excellentis virtutis constet ingredientibus, nil dubii est, quin ad expugnandas permultas easque graves ægritudines maximam vim atque virtutem obtineat. Etenim ubi obstrukiones vasorum sunt referandæ, ubi morbosi & exrementitii sales sunt eluendi, viscidum dissolvendum, ac humidum deficiens restituendum est, ibi utique magnum nostra potio auxilium opeisque afferet. Quis enim non perspicit hanc ipsam in universam sanguinis & humorum massam agere, & hac ratione etiam partes solidas afficere, quod præcipuum Medici de præstanti remedio desiderium est? Hoc vero non tam ratione earum specierum quas habet & recipit, quam propter aquam puram sinceram ejusque copiam exsequitur. Hæc enim est, quæ fontes sanguinis subeundo ejus motum ac circulum per universi corporis tubulos fluiditatem servando, promovet, hæc est

est quæ lentoſ & viſcidos humores valide fundit atque diſſolyit, hæc porro eſt quæ ſales acres diluit & ex corporis ſphæra vehit atque eliminat. Ex quo facile in telligitur, in omnibus morbis a Veteribus ſic dictiſ ca lidis quos Medici medii ævi a bilis copia, Recentiores a ſalium acrimonia deducunt atque derivant, avenaceum hunc potum ſaluti atque auxilio eſſe deſiderati ſimo. Neque negari potheſt, quin in chronicis per multis paſſionibus quas viſcerum obſtructions vel humo rum stagnationes ſuſtinent, laudatissimam ferre opem poſſit, quemadmodum etiam, experientia, hac in re conſirmamur. Placet vero huius virtutes paulo ſpecialius rimari, ac quid in medendo poſſit, quid non poſſit, circumſpicere,

### S. XXI.

Primo omnium vero non poſſumus non noſtrum po tum dignis laudibus ad omnem febrilem æſtum extingueendum commendare; quid enim ad ſitim ſe dandam ipfa aqua & nitro convenientius fit, quid ad calidiffimam partium ſulphurearum ſanguinis intelli nam agitationem temperandam ipſo quoque nitro efficacius fit, & quid bilis in primis viis ſtabulan tis acredinem & fervorem magis mitiget ipſo hoc noſtro potu, equidem non video. Commodoſiſme itaque in paroxysmo omnium, quæ intermiſſunt, fe brum pro ordinario potu ſatis etiam liberaliori qua ntitate bibitur, utpote non modo primarum viarum ſordes, quæ febrilem ſubinde fomitem augent, egregie abſtergit, ſed & humores & ſanguinem fluxiliores red dendo, neque minus fibras quæ ſub omni intensiori æſtu

æstu valde tensæ & constrictæ sunt relaxando efficit, ut corpus ad sudorem, qui remittente febris impetu non sine felici successu profluit, eo melius disponatur. De hujus vero remedii in febre tertiana efficacia ego ipse scilicet testimonium perhibere possum, cum enim nuper admodum tertiana vehementi corripiebar nihil fere medicinæ præter unicum hanc potionem avenaceam assuī, quam primis statim diebus largissime hausī & per aliquot dies hoc continuavi, ita non modo in sequentibus paroxysmis protinus mitior factus est calor, verum etiam paucō tempore ex toto se febris remisit. Memini quoque in quartanis, quæ sæpius Medicorum scandalæ sunt feliciter usurpatum fuisse hunc potum, evacuato imprimis mox ab initio convenienti vomitorio aut purgante corpore, ita enim liberius & citius suam virtutem atque efficaciam exercet.

### §. XXII.

Quod attinet ad febres continuas, nihil quoque dubii est quin in hisce quoque potus hic sit longe optimus atque convenientissimus, nam quo intensior est calor, eo plus humidi, sale præsertim nitroso exaltati, desiderat, ut humores nimio æstu dissipatos & vires quoque disjectas restituat. Atque etiam hac in re aquam avenaceam mucilagine imbutam plus simplici aqua præstare minime potest negari, siquidem pura & simplex aqua celerrime per corporis tubulos ejicitur, ubi vero mucilagine quadam dulci ac temperata subacta est, diutius in corpore manet, & fluoribus corporis nostri sese associat, humidumque substantifice restaurat. Et ut liberius mentem nostram expona-

mus, profecto in potionibus liquidis congruis & convenienti quantitate ac tempore sumtis, præcipuum fannandi continuas & inflammatorias febres momentum consistit; si ullius enim morbi certe febris natura sæpe sola est optima medicatrix, nec pluribus eget speciosis arte excogitatis aut validioribus remediiis, sed simplicissima saltim & liquida amat, quibus nimius æstus temperatur, obstrunctiones solvuntur, & materia morbi naturæ inimica per debita loca excluditur: qua de causa etiam *Hippocrates libr. IV. de Morbis aquam omni febri esse adversissimam* pronunciat.

### §. XXIII.

Quod de febribus continuis jam diximus, hoc quoque circa variolarum morbillorum & purpuræ tractionem tenendum est, siquidem in his temperantes potus præcipuum curationis momentum absolvunt; neque in hisce nostra avenacea ptisana disuadenda est, ut potius maximam laudem ac commendationem promereatur. Quamvis vero nitrum in morbis salinis & ubi expulsione valida ad corporis peripheriam opus est, alienum videatur; attamen merito inter ejus debitum usum & abusum in hisce affectibus distingui debere arbitramur. Neque minus temperamentorum & temporum morbi, quæ magna sunt curationis momenta, rationem habere oportet, siquidem urgente nimia sanguinis calidi, sub initiis morbi, ebullitione, nitri moderatam dosin magno esse auxilio indies observamus, unde etiam non potest non noster avenaceus potus esse utilisimus, hoc unico saltim observato, ne nimia in copia, vel nimis etiam frigide, sed potius tepide

pide offeratur , ita enim corpus in continua perspirazione ac diaphoresi conservatur , quæ medentis præcipua ac princeps in hisce affectibus intentio æstimatur.

### §. XXIV.

Num vero hic noster potus truculento pestis morbo correptis conveniat, merito in quæstionem venit. Dubitatio ex eo nasci potest, quod nitrum nimis refrigerando virulentum miasma magis in corporis sphæra detineat , nedum illud foras expellat. Sed tamen negari nequit pestis venenum in ventriculo & primis viis potissimum atque celeriter dum cum saliva in ea descendit, inflammationem facile in sphacelum trans-euntem moliri, idque magis hoc efficere, si quando corpora sanguineæ cholericæ temperaturæ offendere-rit. Quis vero hic nitri usum cum ratione damnare velit meo quidem judicio non video. Alia vero ratiō est ubi corpora fame & viribus exhausta in peste tractanda sunt , ibi utique omnis generis refrigerantia nec non evacuantia plus exitio quam saluti esse soler-tium Medicorum experientia edocemur. Unde in ipsa peste potionem ex rasura cornu cervi radice scor-zonera & avena paratam & ad gratiam edulcoratam a Cl. Gottl. Budæo Consil. de Peste nuperrim. edit. p. 54. & 70. præscriptam invenies.

### §. XXV.

Quod si vero in ullo morbo , certe in inflamma-tionibus & inflammatoriis omnis generis febribus lau-dabilem hic noster potus præstat usum. Etenim ex nostra quidem sententia febres ardentes internam ple-rumque nobilioris partis inflammationem potissimam

causam agnoscunt, & inflammatio nil nisi febris cu-  
jusdam partis est, quæ postea universam corporis ma-  
fam ac totum corpus in confessionem pertrahit. Quod  
si vero funestæ illæ partium inflammationes sanguini-  
nis vitæ infensissima in tubulis stasi atque incarcera-  
tione sustineantur, quam protinus dolor rubor ardor  
partis & pulsus celer sequitur, certe nihil præsentius  
tali potu, qui sanguinem stagnantem resolvat diluat  
abstergat inque ordinem reducat, spasmodum simul &  
incendium restinguendo poterit excogitari. Quis  
enim nostris recentissimis temporibus inter Medicos  
tam socordis mentis est, qui adversus inflammatori-  
um æstum maximum præsidium esse nitrum ignoret?  
Inde etiam est quod nitrosa, præsertim sufficiente li-  
quido diluta in pleuritide, peripnevmonia, angina, ne-  
phritide, erysipelate, quin imo in ophthalmia, phreniti-  
de atque in inflammatione uteri longe utilissima a so-  
lertioribus Practicorum constanti experientia obser-  
ventur. Accedit & hoc, quod sicuti febrium ita etiam  
inflammationum, quæ pari fere cum ipsis passu am-  
bulant, natura unica fere & præstantissima sit medi-  
catrix, modo hæc si opus sit sanguinis detractione &  
congruo potu adjuvetur, ita enim debito & stato tem-  
pore patienter expectato, gravissimus hic morbus us-  
que ad admirationem felicissime sæpe numero vin-  
citur.

### §. XXVII.

Quid vero judicandum est de nimis sanguinis  
per varia loca profluviis, num etiam in his desideratam  
noster potus opem afferat? Enormes hasce, sanguinis  
profusiones ab ejus immodice ebullitione, a spasmodis  
vali-

validioribus, præsertim viscerum abdominis internis, & hinc inæquali sanguinis circuitu atque cum impetu ad quasdam partes facta congestione, proficiisci, non ignoratum amplius fore arbitramur, & qui circa hanc rem dubitationem quandam animo concipit, is *dissertationem* D.D. Præsidis *de Hæmorrhagiis* legendam adire poterit. Cum itaque spasmus causam hæmorrhagiæ proximam constituat, & is a sanguinis stagnatione & consueta ejus evacuatione suppressa plerumque suboriatur, nihil certe est quod tam prompte ac expedite stagnantem sanguinem resolvere & tam celeriter spasticas sensibiliorum partium stricturas laxare poterit, quam potus noster laudatissimus, cuius omnia ingredientia hisce prædictis indicationibus satis faciunt. Qua de causa etiam in immodica narium mensium hæmorrhoidum nec minus uteri hæmorrhogia atque hæmoptyxi non modo nitrum, sed & potus noster nitro conditus desideratissimam fert opem, imprimis prudenter juncta sanguinis detractione. Incidit mihi quam recensere placet curatio: juvenis XX. annorum de dolore lateris pungitivo & spirandi difficultate laborans sanguinis copiam ejecit, cui successive aliquot pocula nostræ ptisanæ obtuli, quibus sumptis tertio die cum malo rediit in gratiam.

### §. XXVIII.

Qvum vero graves & longæ quæ corpora nostra affligunt, passiones viscerum obstructione principaliter foveantur, atque adeo si eæ inveteratae radices egerint, & non solvi possint, insanabiles fiant; hinc si quando mature talis obstructio tollatur, chronici talismodi mali protinus curatio insequitur. Princeps itaque omnis

medentis cura ac intentio in morbis chronicis esse debet ut infarctus viscerum eorumque obstrunctiones præmaturo consilio aperiat , id quod optime perfici posse liquido , copia assumto , cum ratio suadet tum experientia confirmat. Quid hac in re thermarum & acidularum conveniens usus valeat , nemini facile ignotum esse poterit , nisi qui experientia , quæ optime quid præstant remedia edocet , destituitur , vel morborum generationem minus perspectam habet ? Cum vero non omni loco & tempore cuivis liceat medicatos fontes adire , utique ut de tali remedio quod similes cum iis habeat affectus ac vires cogitemus necessarium est. An vero covenientius & quod tantum consymbolismum cum aquis medicatis foveat , inveniatur , ac nostra potio , quæ aqua sale potenti nitroso in medicina saluberrimæ virtutis , ac præstanti quadam radice correcta est , cuivis sagacissimorum Medicorum judicio dijudicandum relinquitur. Maxime omnium vero hanc nostram assertionem experientia optime tuetur : numerosa enim prostant exempla a Cl. Lowero & Joh. Franc. aliisque consignata / ubi hic noster potus per aliquot septimanas continuatus in chronicis morbis , præsertim astmate , dyspnœa , podagra , calculo renum & vesicæ , arthritide vaga scorbutica , malo scorbutico & hypochondriaco , ictero , mensibus obstructis , chlorosi , lippitudine oculorum , scabie & omni sanguinis impuritate miracula fere præsttit , modo interdum ejusus pilulæ balsamicæ amaræ interponantur.

## §. XXIX.

Quammaxime vero cura nostra avenacea scorbuticis

ticis convenit; etenim cum grave hoc non minus quam chronicum malum ex sanguinis circulo languidiori, emunctorum obstrukione, & inde fluorum corporis nostri sequente magna impuritate proveniat, facile intelligitur ea esse optima mali hujus præsidia, quæ sanguinis circulum promovent, inveteratas obstrukiones expediunt, neque minus per omnis generis emunctoria excrementitias salino-sulphureas sordes evehunt. Id vero an ulla medicina exequi possit felicius nostro laudatissimo potu, valde dubitandum est, utpote cum decantata illa antiscorbutica calidiora ut sunt cochlearia trifolium fibrinum lignorum decocta & ex arbore pini deprompta remedia mineralibus aquis & simplici hoc nostro potu longe multumque sint inferiora. Quin imo hæc ipsa plus exitio quam saluti fuisse non semel fuit observatum. Cum vero truculentia doloris arthritici qui graviter sæpe numero artus exercet vagam vel fixam sedem in iis occupando plerumque scorbutici morbi & lymphæ impuræ foboles sit, hinc etiam eodem modo hæc est tractanda. Et profecto si in ullo morbo certe in hoc præsentissime efficaciam suam exerit, id quod conpluribus experimentis constat. Magis autem proficit prima regione prius leniori emetico aut laxante evacuata si per aliquot septimanas paulo liberaliori dosi calide vel etiam frigide a calidioribus præsertim subjectis bibatur.

### §. XXIX.

Eadem est ratio alorum dolorum qui corporis partes præsertim capitis membranas divexant, ubi non inferioris efficaciam deprehenditur. Notabile est quod scri-

scribit *Lowerus* feminam per XV. annos capitis dolore vexatam, omnibus aliis frustra adhibitis, sola hac potionē per XIV. dies continuata, in integrum fuisse restitutam. Neque in aliis doloribus ut colico, odontalgico, ejus usus dissuaderi debet, ut potius maximo-pere sit commendandus, dummodo, ut Veteres loqui amant, non ex causa frigida sed calida fuerint prognati, i. e. si sensibilia furent corpora, quibus magna motuum inest energia, & calor ac bilis abundat; tali enim in casu temperando & humectando non potest non summe esse proficuus.

### §. XXX.

Ceterum in morbis qui ab impuris salibus nascuntur maxime omnium principem noster potus locum sibi vindicat, cuius generis sunt scabies, herpes, serpio, pruritus, gutta rosacea, quibus, uti omnia humida & aquea, ita maxime potus ex avena aqua nitro & radice cichorii est convenientissimus, hac tamen adhibito monito ut prius vel sanguinem nimium detrahamus, vel alvum ducendo primam regionem prius expurgemus, atque etiam haec ipsa inter hujus potus usum interponamus.

### §. XXXI.

Laudamus vero maximopere ejus insignem usum atque utilitatem in renum & vesicæ vitiis emendandis. Non infensor corporis humani tyrannus ipso grandiori calculo sive in renibus sive in vesica existat, observatur, ob atrocia quibus ægros miserrime excruciat symptomata. Hujus vero generationem sufficiens liquidum impedit, quando viscidarum & tartarea-

rum

rum partium urinosi laticis unionem & concretionem continuo fluiditatis motu prohibet , vel etiam si quæ jam levi nexu concretæ fuerint, rursus dissolvit abs- tergit abluit & per urinarias vias educit ; neque enim in iis qui potu largiori utuntur peregrinus hic hospes facile habitat, sed vitæ sedentariæ, lymphæ viscidioris & potus parcioris plerumque fœtus est. Idem statuendum circa dysuriā, & stranguriā est, quæ nunquam non latenter calculum veluti causam agnoscit, primariam, quam data ptisana nostra egregie compescit , præser- tim liquore carminativo blandiuretico spirituoso in- terposito.

### §. XXXII.

Ut vero universa, quæ diximus, in pauca contra- hamus , dicimus : ad omnia vitia ac morbos in quibus alias non sine singulariſ fructu aquis salubribus medi- calis mineralibus thermis & acidulis vel aqua simplici purissima aut pluviali utimur, nostrum decoctum esse summe conveniens ac proficiens remedium. Atque adeo ut sicuti cum illis : ita etiam cum hoc cura per ali- quot septimanas institui possit.

### §. XXXIII.

Quemadmodum vero circa usum omnis gene- ris remediorum, quæ efficacia pollent debito regimine & methodo opus est : ita etiam circa curam avenace- am hoc non debet negligi. Si quis itaque præservatio- nis gratia hac cura uti & ab imminentibus morbis corpus tueri velit , præstat aestivis mensibus si frigi- dum expetit potum, hanc curam adornare, alio enim

tempore ab ingenti hujus potus frigore cavendum est. Si quando autem morbus vel symptomata id urgeant, expedit mane & quidem calide in lecto hunc potum assumere, ut liberior sit perspiratio; deinceps si loco acicularum hac ptisana uti velimus ad morbos vel præsentes vincendos vel imminentes avertendos, tunc si plethora adeat, sanguinem ante detrahere oportet, & bene laxante primam aſſordibus regionem deplere. Deinde in potu successive est adſcendendum: ſufficit prima die unam libram aſſumere, altera addi potest libra dimidia, tertia ad libras duas eſt vniendum, & ibi quoque persistendum per omnem curæ curſum, quæ tandem balsamico quodam laxante eſt finienda. Inter hanc curam vero cum omnia aquea tonum ventriculi debilitent, hujus ratio in primis eſt habenda, quamobrem ante vel etiam poſt cibum elixir quoddam balsamicum vel ſtomachium debita doſi eſt porrigendum. Peracta vero prandii concoctione, quod plerumque poſt 4 vel 5 horas fit, dimidiā ſaltim potus partem haurire licet. Durante hac cura, & aliquo tempore etiam poſt eam, uſum eorum quæ diſſicilioris ſunt concoctionis & maium ſuccum præbent circumcidere oportet.

### §. XXXIV.

Quemadmodum autem minerales & alias medicatas aquas frequentiſſime ad potum ordinarium vel etiam in morbis tam chronicis quam acutis ſubinde ſummo cum fructu ſolemus uſurpare: eodem modo loco cereviſiæ vel conſueti potus inter cibos vel fine vino noſtra ptisana bibenda. In acutis paſſioni-

bus ad sitim & æstum restinguendum loco julapi vel ordinarii potus vel cerevisiæ datur convenientissime. Et sicuti porro non semper æque felix effectus protinus ab ipsa cura aquarum mineralium visitur, sed demum peracta ea post aliquot septimanarum spatium fiat: ita etiam si graves & radicati morbi sunt vincendi, non protinus effectus, sed successu temporis percipitur. Et uti frequenti opus est, ut morbus longus expugnetur, aquarum continuatione: ita quoque non mox a potu nostro est desistendum, sed habita ratione circumstantiarum repetendus sive ad tempus continuandus est.

**P**RÆMIA QUOD MANEANT VERÆ VIRTUTIS AMANTES,  
Exemplo nobis suavis amice probas.  
Scilicet assequeris medicæ nunc artis honores  
Summos ac meritos, præmia digna viro!  
Gratulor ex animo justos virtutis honores  
Quos & felices opto precorque Tibi.

Nobilissimo Dno. Autori. Doctorando dignissimo;  
Amico suo integerrimo hæcce paucula gratu-  
labundus scripsit

**IOH. TOBIAS CVRTIVS,**  
**Bolckenhaynens, Siles, Medic. Cand.**

